





DE
1749, 3
690
16
IVRE TESTANDI
PRODIGO NON COMPETENTE

AVCTORITATE ET CONSENSV ILLVSTRIS ORDINIS

IVRISCONSVLTORVM

IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA

PRAESIDE

D. IOANNE FRIDERICO EISENHART

FACVLTAT. IVRID. ADIVNCTO

AD D. XXVI. IVLII MDCCXXXVIIIIL

IN AVDITORIO IVRIDICO

DISPVTABIT

AVCTOR

AVGVSTVS WILHELMVS HASSEL

WOLFENB.

LL.C. ET SOCIET. TEVTON. HELMST. MEMBRVM.

HELMSTADII

TYPIS IOANNIS DRIMBORNII



DE
IVRE TESTANDI
PRODIGO NON COMPETENTE

§. I.

Inter eas personas quibus non est permiffum facere testamentum a IVSTINIANO quoque referuntur prodigi §. 2. *I. quib. non est perm. facer. testam.* cuius rei ratio est, quod illis bonorum fuorum administratio interdicta est. Enimvero quia testamentifictio quasi administratio bonorum erat, hinc prodigus cui commercium eorum interdictum, familiam mancipare, id est, per aes & libram vendere non poterat. Quae cum ita se habeant paucis inuestigandum erit, quisnam pro prodigo fit habendus? Consideratur autem prodigus vel sensu ethico vel iuridico. Ethice prodigus dicitur, qui neque tempus neque finem expensarum habet, sed bona sua dissipando atque dilacerando profundit, ut dicitur *L. I. pr. D. de curator. furios. & aliis extr. minor. dand.* iuridice autem prodigus vocatur, qui pro tali decreto magistratus declaratus est, quo ipsi simul interdictum est commercium & bonorum fuorum administratio, ceu ex *L. c.* apparet. Quapropter in sensu iuris nemo prodigus dici meretur, nisi a magistratu pro tali declaratus sit, quum ipsi sollemni formula rerum suarum administratio interdi-

lag

terdicta fuerit, quam sistit PAVLVS L. III. *sentent.*
t. 4. QUANDO TV BONA TVA DISPERDIS LIBE-
 ROSQVE TVOS AD EGESTATEM PERDVICIS, OB
 EAM REM TIBI EA RE COMMERCIOQVE IN-
 TERDICO. Cuius itaque interdictae bonorum admi-
 nistrationis effectus is potissimum fuit, vt prodigo
 testari non liceret, hinc ista constitutio non ad eos
 extendenda est, quibus administratio bonorum suo-
 rum nondum adempta erat, quippe quorum testamen-
 tum ante interdictionem factum, optimo iure valebat.
 L. 18. D. *qui testam. fac. poss.*

§. II.

Quum vero ex mente MODESTINI L. I. D.
qui testam. facer. poss. testamentum nil aliud sit, quam
 voluntatis nostrae iusta sententia, de eo, quod quis
 post mortem suam fieri velit, iam sequitur, omne
 robur atque effectum testamenti in habilitate personae
 testatoris situm esse. Requiritur itaque leges circa testa-
 menta latae, imprimis vt testator persona habilis sit,
 & vt secundum regulas iuris ciuilibus testatus sit. Id
 quoque innuit CAIVS L. 2. D. *eod.* cum dicit: *Si quaeramus, an valeat testamentum, inprimis animaduertere debemus, an is, qui fecerit testamentum, habuerit testamentifactionem: deinde si habuerit, requiremus, an secundum regulas iuris ciuilibus testatus sit.* Ex his igitur facile apparet, cur in eo qui testatur, eius temporis, quo testamentum facit, integritas mentis, non corporis sanitas exigatur L. 2. *eod.*

§. III.

Fluit ex his quae §. superiori dicta sunt porro,
 vt omnes personae ista habilitate destitutaer, iure testan-
 di non gaudeant. His annumerantur prodigi, ii sci-
 licet,

licet, quibus lege bonis interdictum est, qui si testamentum fecerint ipso iure non valet, *L. 18. D. qui testam. fac. poss.* Quæ enim de pupillis ac furiosis ratione facultatis testandi leges ordinarunt, ad prodigos quoque extenduntur, qui cum illis comparantur *L. 9. §. 7. D. de reb. cred. si cert. pet. L. 7. §. 12. D. quib. ex caus. in possess. eat.* Ad quod accedit quod prodigus aequè ac furiosus tamdiu in curatione sint, donec vel furiosus sanitatem, vel ille sanos mores receperit, *L. 1. D. de curator. fur. Et aliis extr. min. dand.* Hinc furiosi vel eius cui bonis interdictum sit, nulla voluntas esse dicitur *L. 40. de R. I.* Ex hoc quoque fundamento *D. Pius* matris querelam de filiis prodigis admisit, vt curatorem accipiant, *L. 12. §. 2. D. de tutor. Et curator. dat. ab his.* vbi ait: *non est nouum quosdam, etsi mentis suae videbuntur, ex sermonibus compotes esse, tamen sic tractare bona ad se pertinentia, vt, nisi subueniatur his, deducantur in egestatem: eligendus itaque erit, qui eos consilio regat, nam æquum est, prospicere nos etiam eis, qui quod ad bona ipsorum pertinet, furiosum faciunt exitum.*

§. IIII.

Sed omnia hæc immutauit LEO Imperator singulari constitutione: VT PRODIGVS QVAE EX RE IPSIVS SINT FACERE POSSIT, quæ inter nouellas eius corpori iuris ciuilibus adiectas, est XXXVIII. vbi ita statuit: vt quæ iudicium erroneum quodque prodigum designet, dicet, neque approbatione neque confirmatione digna habeantur: quæ vero ad utilitatem spectent, suscipiantur, atque nequaquam reprobentur. Pergit deinde: *Quid enim, si prodigus aut hereditatem necessariis suis relinquere, aut pauperibus sua distribuere,*
aut

aut denique gravem servitutis torquem servorum cervicibus adimere velit? An ideo quod prodigus, id illi non licere velle dicendum? Quid, si quum praedium damnosum habeat, alter quispiam, qui vitio mederi possit, maiore pretio quam quanti praedium sit, id emere, ipsumque damno leuare velit? An prodigalitas, quo minus ille sibi consulat, vtiliterque negotietur, impedit? At rationem non video. Quod itaque dixi, rerum gestarum conditio obseruator & si in ea prodigi mores non conspiciantur, quod actum est, ratum esto: si vero a prudenti rerum gestione aberratum esse appareat, id neque approbatione neque confirmatione dignum habetor.

§. V.

Ex quo ista Leonis constitutio prodiit, suos quoque inuenit defensores, hinc orta est communis fere Doctorum opinio, valere testamentum prodigi, si in eo posteritati bene consuluerit. Humana haec dicitur exceptio, quia hac ratione prodigus mores mutasse & ad meliorem mentis usum peruenisse videtur. Enimvero cum in *L. I. D. de curator. furios.* furiosus & prodigus tamdiu solum in curatione manere dicantur, donec sanos mores receperint, id inde colligendum esse videtur, si posteritati suae bene consulant, adeoque ipso iure tunc a curatione liberari videntur.

§. VI.

Sed mihi nondum omnia adeo certa atque expedita esse videntur, quae imperator sanxit, vt omnibus dubiis quae contra ea moueri possunt, careant. Ita enim comparata est, Leoniana haec constitutio vt potius multis litibus & dubiis ansam praebere possit. Quaestio enim iam oriri potest, an quoque prodigus posteritati suae bene consuluerit? quae res non solum mul-

tis adhuc dubiis obnoxia est, verum etiam iudicis iudicio relinquenda. Ipse imperator c. N. rerum gestarum conditionem obseruari, ac si a prudenti rerum gestione aberratum esse appareat, id neque approbatione neque confirmatione dignum haberi iubet. Iam vero facile accidere potest, vt tale testamentum a prodigo factum ab iis impugnetur, qui eum sibi non consuluisse conqueruntur, cum heredes instituti eum posteritati bene consuluisse contendant. Quid igitur aliud euenire potest, quam vt ex alio semper aliud oriatur dubium.

§. VII.

Immo facile fieri potest, vt multifariae fraudes committantur. Semper enim metuendum est, ne aliorum blanditiis prodigus ad testandum commotus fuerit. Accedit, quod iam alia occurrat quaestio, an testator prodigus esse vere desierit? an meliores mores recepisse dicendus sit? Enimuero hoc ipsi prodigo occasione praebet, vt eum ad finem tantum testetur & posteritati suae bene consulat, quo a curatione liberaretur. Quapropter rectius facultate testandi prodigo denegandam esse puto, ne ipsi occasio fraudum committendarum praebatur.

§. VIII.

Quod vt eo magis appareat, argumentum quoque peti potest, a facultate paciscendi prodigo pariter adempta, arg. *L. 6. D. de V. O. L. 28. §. 1. D. de pact.* Pactum non minus ac testamentifactio mentis integritatem ac liberam de rebus suis disponendi facultatem requirit. Quum itaque hac in re pactum & testamentum inter se conueniant, rectius a testandi facultate prodigum arcendum esse, patet.

§. VIII.

Cum etiam prodigus cum impubere paria iura habeat, porro sequitur, vt eodem iure vti debeat, quod in hunc statutum est. Potest quoque impubes posteritati suae bene consulere, nihilominus tamen a testamentifactione actiua plane est exclusus, ceu apparet ex *L. 19. D. qui test. fac. poss.* vbi *MODESTINVS* ait: *si filiusfamilias, aut pupillus, aut seruus tabulas testamenti fecerit, signauerit: secundum eas honorum possessio dari non potest, licet filiusfamilias sui iuris, aut pupillus pubes, aut seruus liber factus decesserit, quia nullae sunt tabulae testamenti, quas is fecit, qui testamenti faciendi facultatem non habuerit.* Pupillus certe maiori fauore dignus esset, quam prodigus, si contra legum dispositionem exceptio admitti posset, quum ille tantum ob mentis imbecillitatem, prodigus vero ob decretum quo ipsi bonis interdictum est & prodigalitatem a iure testandi arceatur; nihilominus tamen ipsi testamentum facere iura non permittunt, licet pubertati proximus sit. Non igitur video, cur prodigus hac in re maiori fauore frui debeat?

§. X.

Vfus quoque forensis dictae nouellae Leonis ad quam prouocare solent eius defensores, nondum probatus est, ceu existimat *CARPZOVIVS P. III. c. 6. d. II.* adeoque sententia contraria ex iure communi recte defenditur, cum eo testamentifactio prodigo generatim denegetur. Licet enim in prouinciis orientabilibus nouellae Leonis auctoritatem habuerint, nondum tamen patet, an quoque in occidente receptae fuerint. Non quidem illis assentiri possum, qui ne Leonis quidem aetate, eius nouellas auctoritatem habuisse, cum

cum IACOBO CUIACIO *Lib. XVII. Obs. c. 31.* & IACOBO GOTHOFREDO *in manual. iur.* contendunt, cum huic sententiae maxime obstat, quod Imperatores sequentes saepius ad eas prouocarint, HARMENOPVL. *enchirid. L. II. t. 8. §. 9.* Sed hoc tamen certum est, eas non omnes in occidente receptas fuisse, conf. CASP. ACHAT. BECKIUS *de nouellis Leonis earumque usu & auctoritate.* Hinc recte colligo, ut is qui auctoritate nouellarum Leonis nititur, earum usum probare debeat, quare etiam, quod ad testamentum prodigi attinet, in primis usus dictae nouellae 39. in eo loco probandus erit, ubi testamentum factum est, quod si fieri nequit, id pro nullo declarandum esse arbitror, & potius iuri communi standum, quod prodigi facultatem testandi ademit.

§. XI.

Ex his quae a me allata sunt satis apparet non solum facultatem testandi prodigis prorsus esse adimendam; verum etiam quam dubia sit, dictae nouellae Leonis praxis. Quum vero sublata re effectus quoque tollatur, prodigus si testari velit, in primis curare debet, ut interdictum tollatur, quo sublato bonorum suorum administrationem consequitur, & ipso iure in curatione esse desinit. L. I. D. *de curat furios.* De reliquis cautelis a prodigo hac in re obseruandis non est, quod multa dicamus, sed ad STRYKIVM lectorem ablegamus, qui eas tradidit, in *tract. de caut. test. c. III. §. 28. sequ.*

TANTVM.



Helmstedt, Diss., 1748-49

ULB Halle
005 350 832

3





Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

DE
IVRE TESTANDI
PRODIGO NON COMPETENTE

1749, 3
~~690~~
16

AVCTORITATE ET CONSENSV ILLVSTRIS ORDINIS
IVRISCONSVLTORVM

IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA

PRAESIDE

D. IOANNE FRIDERICO EISENHART

FACVLTAT. IVRID. ADIVNCTO

AD D. XXVI. IVLII MDCCXXXVIIIIL

IN AVDITORIO IVRIDICO

DISPVTABIT

AVCTOR

AVGVSTVS WILHELMVS HASSEL
WOLFENB.

LL.C. ET SOCIET. TEVTON. HELMST. MEMBRVM.

HELMSTADII

TYPIS IOANNIS DRIMBORNII